



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Q

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Rempubliam habentem Imperium supremum; alias enim esset crimen proditoris, vel seditionis, non autem crimen læsæ Maiestatis.

Profectus.

Personæ particulares non possunt habere prospectus in Ecclesiam, S. Congregat. Episcoporum. 15. Iulij 1635.

Nullo modo debet esse in Monasteria Monialium. Eadem S. Congr. 28. Februarij 1605.

Neque à fenestris Campanilis alicuius Ecclesiæ vicinæ. Eadem S. Congr. 16. Aprilis 1605.

Ideoque pleno muro debent obstrui. Eadem S. Congreg. 31. Iulij 1612.

Et quæ huiusmodi essent in Monasterio monialium, per quæ videre possent, & videri. Eadem S. Congreg. 28. Nouembris 1636.

Nec quis permitti debet ædificium attollere, si per id prospectum in Monasterium sit habiturus. Eadem S. Congregat. 15. Maij 1612. & 18. Februarij 1617.

Et ad idem parietes attollere iubetur, ac fenestras claudere. Eadem S. Congr. 11. Aprilis 1645.

Et demoliendæ sunt mansiones fabricatæ in viculo intermedio, & claudendum ambulacrum, quod à recto monasterij imminet prædominans. Eadem S. Congreg. 11. Iulij 1653.

Non obstante qualibet appellatione, vel recursu. Eadem S. Congr. 8. Augusti 1653.

Prohiberi debet monialibus sub grauibus pœnis, vsus ocularium longiorum. S. Congreg. Episcoporum. 1. Octobris 1627.

Protektor.

Non potest dare vocem exclusis à Constitutionibus. S. Congr. Episc. 6. Octobris 1645.

Vel absolueri, relaxare, aut dispensare in pœnis incurtis à Religiosis, eo quod alienauerunt, vel Romanam venerunt sine licentia, Clemens VIII. & decreta S. Congr. Concilij.

Q

Questor, & quæstuario.

Licentia quæstuandi concedi non potest à Principibus, vel Magistratibus secularibus, sed obtinenda est à Papa, vel ab Episcopo. S. Congregat. Concilij, 9. Ianuarij 1582. & 22. Februarij 1620.

Pro licentia quæstuandi danda locis piis iuxta solitum exigi solum possunt baiocchi quinque ad mercedem Notarij. S. Congregat. Episcoporum. 14. Aprilis 1615.

Regulares tamen Mendicantes tali licentia non egent, sed in locis ubi non habent Conuentum, tenentur ostendere licentias suorum Superiorum. S. Congregat. Episcoporum. 15. Februarij 1577. & 17. Nouembris 1620. & 5. Octobris 1646. & 21. Maij 1649.

Non debet Ordinarius permittere quæstuariis, vt im-

primant eorum licentias. Eadem S. Congr. 4. Septembris 1602.

Nec eos facile admittere, licet deferant licentias impressas. Eadem S. Congr. 27. Nouembris 1601. & 9. Ianuarij 1602.

Quæstuarij carcerari debent, & ad Iudicis originem transmitti, vt ibi puniantur, ubi fuerunt eis iniuncta præcepta, & ubi frequentius est id genus maleficij. Eadem S. Congr. 7. Iulij 1605.

Vbi tribus, vel quatuor funium ictibus publicè inflictis, mittantur in exilium à Cinitate, & Diœcesi per quinquennium, sub pœna tritemium ad decennium in casu fractionis exilij, vel nouæ quæstuationis. Eadem S. Congreg. 18. Decembris 1600. & 5. Februarij 1602.

Maximè si publicauerint falsas Indulgentias. Eadem S. Congr. 5. Martij 1602.

Elemosynæ repertæ penes quæstuarios, si dari non possint eidem loco, cuius contemplatione fuerunt factæ, distribuendæ sunt Monasterijs monialium, quæ magis egent. S. Congregatio Episcoporum sub 20. Augusti 1596. & 3. Iulij 1597. & 13. Iulij 1605.

R

Raptor.

Raptor virginis gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 9. Octobris 1628. in Theatina: lib. 1. decr. Paul. fol. 108.

Recognitio corporis delicti.

Episcopus non potest dare licentiam Gubernatori faciendi recognitionem corporis delicti in loco immuni. Die 21. Ianuarij 1659. in Anagnina: lib. decr. Roccy, fol. 146.

Aliquando cum facultate sanctissimi Episcopus potest communicare recognitionem corporis delicti Curia laicali. Die 16. Iulij 1658. in Fulginatensi: lib. decr. Roccy, fol. 103. à tergo.

Non permittitur extractio bonorum à loco immuni ad cognoscendum corpus delicti. Die 7. Octobris 1634. in Vrbeuetana: lib. 1. decr. Paul. fol. 94.

Reconciliatio.

Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ, quæ prius consecrata non erat, aliquando conceditur Vicario Episcopi, seu alteri personæ in dignitate constitutæ. Pro Ecclesiis verò, quæ antea fuerant consecratæ, minimè concedendam censuit S. Rituum Congregatio 9. Maij 1609.

Reconciliatio Ecclesiæ consecratæ, & cæmeterij non committenda alteri, quàm Episcopo. S. Rituum Congr. 9. Februarij 1608.

Recursus.

Molestare, seu vexare recurrentes ad S. Congregationem, est directè contra §. 12. Bullæ Cœnæ. S. Congreg. Episc. 9. Septembris 1594.

Multò magis si quis contra eos, licet Curatos, processum